

## EPISTOLA

meum declararem (quod facere, ut par erat, cupiebam,) dubitavi aliquandiu. Nunc verò tandē edituro mihi hunc de lapidibus ac gemmis libellum, dum pro more patronum ei quaero, tu omnium primus in mentem mihi venisti, tum praedictas ob causas: tum quòd inter alias virtutes, quibus patriam ornas, summa vitæ modestia & benigna erga omnes probos ac literarum studiosos praesertim, humanitas perpetuò in te elucescunt. Iis verò mihi quoq; ad hanc lucubrationem opus est, utpote rudiores & imperfectiores quàm cupiebam multò. Perficiendi autem ocium non in praesentia solùm deerat, sed neq; intra unum alterumq; annum, si vita modò supersit, integrum mihi id futurum videbam. Itaque malui tibi optimo & humanissimo patrono, quod hoc tempore poteram prestare, quàm differre diutius. Quantum ad libri ordinem: nolui alphabeticum sequi, utpote nimis vulgatum & triviale: neque ad suas classes secundum substantiae cuiusq; rationem singula referre. hoc enim in secundo libro (in quo lapidum ac metallorum omne genus vim naturamq; & philo-